

CRITERIOLOGIA

1. Ad Dynamilogiam illa etiam, uti diximus¹, tractatio spectat, qua inquiritur, quid roboris nostrae animae facultatibus insit ad certam veritatis cognitionem gignendam. Haec, maximi quidem momenti, tractatio *Criteriologia* nuncupatur, quia facultates cognoscendi, ut mox dicemus, prout veritatem rerum nobis patefaciunt, criteria veri appellantur. Philosophi, qui mentem humanam illis, quibus praedita est, cognoscendi instrumentis, veritatem sine ulla erroris formidine assequi posse negarunt, aut nondum assecutam esse contenderunt, *Sceptici*, sive, ut latine dicitur, *Observatores* vocati sunt, eorumque sententia *Scepticismus* audiit.

2. Itaque in huiusmodi controversia hunc ordinem adhibebimus. Primo, statutis quibusdam notionibus circa criteria veri in universum, singulorum criteriorum vim tuebimur. Deinde universam scepticismi rationem refellemus. Denique, quoniam facultates cognoscendi inspicere possunt non solum in se, seu *absolute*, sed etiam *moraliter*, idest una cum illis adiunctis, quae illarum usum perturbare solent, inquiremus, quatenam vis ipsis moraliter inspectis insit.

CAPVT PRIMVM

De criteriis veri in universum spectatis

ART. I. De veritate, ac variis animi circa illam statibus

3. Investigaturis instrumenta, quibus veritatis certam cognitionem assequimur, opus nobis est in antecessum definire, quid sit veritas, et quotuplici in statu circa eam mens humana versari queat.

manitas, quae intelligitur, non est, nisi in hoc, vel illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo speciei, et non individualium principiorum »; I, q. LXXXV, a. 2 ad 2.

¹ Pag. 3.

Veritas, prout refertur ad mentem, quae illam cognoscit, dicitur *logica*, et posita est in eo, quod mens cum re cognita, prout haec in se est, consentit. Quare a s. Thoma definitur: « Adaequatio intellectus, et rei, secundum quod intellectus dicit esse, quod est, et non esse, quod non est¹ ». Iam veritas *logica* distinguitur tum a veritate *metaphysica*, quae, uti in *Ontologia* dicemus, est *convenientia rei cum intellectu*, a quo *producitur*; tum a veritate *moralis*, quae est *convenientia vocum cum rebus, quae per illas significantur*².

4. Iam homines aliquarum veritatum notitia carent, aliarum autem notitia potiuntur. Circa res, quarum cognitione destituimur, in *ignorantiae* statu versari dicimur; in iis vero, quas cognoscimus, animus noster vel haeret *dubius*, vel *opinatur*, vel *certus est*.

5. In *dubitationis* statu animus versatur, cum non magis ad assensum, quam ad dissensum inclinatur³. Quod quidem, ut advertit s. Thomas, contingit vel quia animus neutra ex parte aliquam rationem advertit, vel *propter apparentem aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem*⁴. Hinc animus in statu dubitationis instar librae est; quemadmodum enim haec, si aut nullum, aut aequalia in utraque lance momenta habet, nullam in partem declinat, sed in aequilibrio perstat; ita animus, si aut neutra ex parte, aut aequales ex utraque parte rationes advertit, nec alicui enunciationi assentitur, nec ab ea dissentit. Cum animus dubius haeret, quia neutra ex parte rationes advertit, dubitatio dicitur *negativa*; sin aequales utraque ex parte rationes habet, *positiva* vocatur.

6. *Opinio*, sive *probabilitas*, prout certitudini opponitur⁵, est,

¹ *Contr. Gent.*, lib. I, c. 59.

² Haec definitio quadrat in veritatem *moralement* spectatam secundum sui *rationem obiectivam*. Quod si secundum *rationem subiectivam* consideretur, in consensu vocum cum conceptibus, qui res repraesentant, posita est; non autem in consensu vocum cum rebus, quas conceptus repraesentant. Veritas *moralis* secundum *rationem subiectivam* *veracitas*, et falsitas *moralis mendacium* propriis vocibus designantur.

³ « Dubitatio, inquit s. Bonaventura, proprie dicit indifferentiam iudicii rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quod neutrum praeeligat alteri »; In *lib. III Sent.*, Dist. XVII, dub. 3.

⁴ *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XVI, a. 1 c.

⁵ De *opinionem*, prout opponitur *scientiae*, locuti sumus in *Logica*, p. II, c. III, art. 4, p. 67. Cf etiam *ibid.* p. 48, not. 3.

ut s. Thomas inquit, ille status mentis, in quo ipsa « adhaeret uni parti cum formidine alterius ⁴ ». *Adhaeret* quidem *uni parti*, vel quia pro aliqua ipsarum dantur rationes, vel quia pro una graviores, quam pro alia, rationes ei occurrunt. *Cum formidine alterius*, quia rationes illae *non sufficienter* ipsam movent ad assentiendum illi propositioni ². Ex quo fit, ut probabilitas minor, vel maior esse possit, prout paucioribus, aut levioribus, vel pluribus, aut gravioribus momentis innititur. Quod si haec momenta tenuissima sint, probabilitas proprie appellatur *suspicio*.

7. Denique *certitudo* est ille animi status, in quo ipse alicui enunciationi sine ulla sollicitudine adhaeret ³. Certitudo autem potest esse vera, aut falsa, prout iudicium, cui animus fidenter adhaeret, est rei veritati consentaneum, aut dissentaneum. Falsa certitudo *error* vulgo audit; quare error definiri potest: *animi status, in quo ipse certo promunciat aliquid iudicium rei veritati minime consentaneum*.

8. Distinguitur autem certitudo in *metaphysicam*, *physicam*, et *moralem*. Metaphysica certitudo existit, cum mentis assensus in rerum essentia fundatur. Ita metaphysice certum est radios circuli a centro ad peripheriam ductos esse aequales, quia intellectus perspicit hanc proprietatem circuli ab eius essentia fluere. Physica vero certitudo habetur, cum assensus mentis innititur constantia legum naturae, vel simplici facti observatione. E. g., physice certum est omnia corpora ad centrum terrae ferri, quia id colligitur, ope inductionis, ex constantia legum naturae, itemque certum est corpora existere, quia ipsa per immediatam experientiam percipiuntur. Denique moralis certitudo obtinetur, cum assensus mentis fundatur in hominum testimo-

⁴ 2^a 2^{ae}, q. II, a. 1 c. — ² *Ibid.*, q. I, a. 4 c.

³ In *lib. III Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 4 *sol.* Advertito, contra assertores *Calculi probabilitatum*, posse probabilitatem ad certitudinem magis minusve accedere, sed numquam illam assequi. Etenim totum quodpiam confici nequit ex partibus, quae diversae, ac ipsum, naturae sunt; siquidem collectio efficere non potest, ut partes natura sua expolientur. At certitudinem, et probabilitatem diversae naturae esse manifestum est, namque certitudo omnem dubitationem tollit, probabilitatem autem aliqua dubitatio semper comitatur. Quaecumque igitur sit probabilitas, et quotusque eius gradus augeantur, numquam in certitudinem evadere potest, nisi naturam suam exuat. Cf s. Thom., *In I Poster.*, lect. I.

nio, ac proinde in legibus, quibus mores hominum temperantur. E. g., moraliter certum est Persas ab Alexandro fuisse debellatos. Iam perspicuum est certitudinem metaphysicam eiusmodi esse, ut illius oppositum sit *absolute* impossibile, quia res essentiis suis expoliari nequeunt; certitudinis vero physicae, et moralis proprium est, ut earum oppositum sit impossibile *hypothetice*, nempe salvis legibus physicis et moralibus ⁴.

ART. II. Quenam sint veritatis criteria

9. Instrumenta, quibus assequi possumus certas de veritatibus cognitiones, post graecos *criteria*, seu *verorum iudiciorum regulae* in Scholis vocitantur ², propterea quod eorum ope, quid verum sit in unaquaque re, diiudicatur ³, atque ipserum vis ra-

¹ Certitudo moralis, de qua hic loquimur, confundenda non est cum illa, quae latiori significatione accipitur, atque denotat aliquam gravem probabilitatem, quae ad rectam, prudentemque operationem loco certitudinis haberi potest.

² Cf Sext. Emp., *Hypoth. Pyrrh.* libri tres, passim.

³ In hac *criteria* notione tradenda veteres politiores philosophi, ni fallimur, convenerunt. Sextus enim Empiricus (*Hypoth. Pyrrh.*, lib. I, c. 1, n. 2-3), cum philosophorum opiniones de criterio veritatis enarrat, testis locuples est, eos unum vel plura criteria admisisse, prout unum, vel plures certarum cognitionum fontes homini suppetere arbitrabantur. Ast non pauci inter recentes media veritatis cognoscendae a criterio veritatis distinguunt, atque hoc plerumque statuunt in *evidentia*, sive quadam nota ipsi obiecto insita, ex qua mens ad assensum cogitur. At non dari nobis videtur unicum hoc, et commune criterium, quod cognoscendi mediis adiungitur, tum quia, si facultates cognoscendi huiusmodi sunt, ut veritates certo arripere possint, nullo alio criterio ad verum a falso discernendum nobis opus erit; tum quia non paucae cognitiones certae quidem sunt, at non evidentes. E. g., evidentes nobis haud sunt illae cognitiones, quibus obiectum non in seipso, sed per speciem alius rei, quae cum illo quamdam habet similitudinem, apprehenditur; itemque illae, quae circa veritates contingentes, et veritates facti versantur. Hinc s. Thomas evidentes veritates esse docet, quatenus ab intellectu videntur, nempe quarum « cognitio ex perfecta visione consurgit, sicut per lumen naturale videmus principia prima, quae cognoscimus statim, ut terminos . . . et ulterius etiam ea, quae in ista principia resolvere possumus, per rationem dicuntur videri, sicut ea, quae scimus demonstrative probata » (*In lib. III Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 2, *sol.* 1 c.). Praeterea in iis ipsis, quae evidenter cognoscimus, realitas, quae uti aiunt, se nobis manifestat, et intellectum ad assensum rapit, est quidem causa, cur intellectus *necessario* illis assentiatur, seu, ut idem sanctus Doctor inquit, *cogatur* (*Qq. dispp.*

tionem, ob quam de nostrorum iudiciorum veritate certi sumus, exhibet.

10. Ut, quatenam sint huiusmodi criteria, pateat, necesse est diversa veritatum genera prae oculis habere.

Veritates, quae a nobis cognosci possunt, sunt aut *contingentes*, nempe quae versantur circa facta nobis comperta per experientiam internam, aut externam; vel *necessariae*, nempe quae spectant rerum connexiones, et idearum relationes¹. Tum veritates contingentes, tum necessariae sunt aut *primitivae*, aut *deductae*. *Primitivae* sunt illae, quae nullo medio demonstrantur; *deductae* sunt illae, in quibus convenientia attributi cum subiecto ope ratiocinationis perspicitur. E. g., existentia *res ego*, et mundi huius adspectabilis sunt veritates primitivae contingentes; *corpus est grave*, *eclipsis fit per interpositionem terrae inter lunam, et solem*, aliaeque huiusmodi enunciationes sunt veritates contingentes deductae; *totum maius est sua parte*, est veritas necessaria primitiva; *substantia spiritualis libertate gaudet*, est veritas necessaria deducta².

11. Iam 1^o veritates primitivae contingentes cognoscuntur experientia immediata; nempe illae, quae circa facta interna versantur, *conscientia*, illae autem, quae ad facta externa spectant, *sensibus externis* nobis innotescunt; 2^o veritates primitivae necessariae cognoscuntur *per intelligentiam*; 3^o veritates deductae, si sint contingentes, a nobis adquiruntur per *inductionem*; et si sive sint contingentes, sive sint necessariae, per *sylogismum*³. *Intelligentia*, *inductio*, et *sylogismus* unico nomine *rationis* appellari solent. At vero his, quae enumeravimus, instrumentis cognoscendi veritates duo alia adiicienda sunt, nempe *memoria*, quae, etsi nihil novi nobis afferat, tamen cognitiones ante adeptas revocat: ac proinde est conditio, sine qua cognitio humana

De Ver., q. XXVIII, a. 3 ad 6); sed non est proprie causa, cur ea certo cognoscat. Accedit, quod si quemquam e vulgo interrogaveris, e. g., cur certus sit, se revera existere, illico tibi respondebit, quia id mihi conscientia testatur; et si pergat interrogare, quamnam ex ratione corpora existere pro certo habeat, haud haesitans reponet, quia sensus externi id renunciant.

¹ Veritates contingentes a posteriori, vel *syntheticae*; veritates autem necessariae a priori, vel *analyticae* etiam appellantur. Cf. *Ideal.*, c. I, art. 4, p. 196, not. 1.

² Cf. Scot., *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. 4, n. 6-11. — ³ Cf. Scot., loc. cit.

constare non potest; et *auctoritas*, quae complectitur vel facta, quae ipsi nos experti non sumus, vel dogmata ab aliis nobis tradita, eaque vel divina, vel humana est, prout Deum, aut hominem auctorem habet. Itaque quinque criteria a nobis enumerantur, nempe *conscientia*, *sensus exteriores*, *ratio*, *memoria*, et *auctoritas*.

12. Ex his criteriis *auctoritas* dicitur momentum *externum* certitudinis, quia per eam certi sumus de veritate alicuius rei, quatenus alii illam perspexisse nobis testantur. Cetera criteria dicuntur momenta *interna* certitudinis, quia sunt instrumenta animo nostro insita, ita ut per ea certi efficiamur de veritate alicuius pronuntiati, eo quod nos ipsi convenientiam attributi cum subiecto cognoscimus.

13. Porro criteria interna, quemadmodum ex dictis perspicitur, non nisi ipsae facultates cognoscendi sunt, quibus anima praedita est. *Auctoritas* vero, quamquam sit criterium externum, tamen ad interna quodammodo revocatur, quia sine momentis internis, id est sine cognitivis animae facultatibus existere non potest. Et sane, nos momenti e ratione petitis opus habemus, ut certi efficiamur eum, qui aliquid nobis narrat, aut edocet, dignum esse, cui assentiamur. Itaque criteria sunt ipsae cognoscendi facultates, quatenus hae motiva sufficientia exhibent, quibus nititur certitudo, qua veritates cognoscere possumus.

CAPVT II.

De criterio, quod dicitur Conscientia

ART. I. De vi huius criterii

14. *Conscientia* est illud criterium, quo anima sui ipsius, et suarum, quae in ea actu sunt¹, affectionum existentiam apprehendit.

15. Prop. *Conscientiae vis ad interna facta nobis patefacienda adeo ex se est perspicua, ut neque demonstrationem admittat, neque demonstrationis egeat.*

Probatur 1^a pars, nempe non admittit ullam demonstrationem. Nulla est demonstratio, in qua id, quod in quaestionem ad-

¹ Diximus, quae actu sunt, quia ea, quae fuerunt in nobis, obiectum memoriae sunt.

ducitur, pro certo sumitur⁴. Atqui infallibilitas conscientiae demonstrari nequit, nisi iam pro certa sumatur. Ergo.

16. *Minor* ita demonstratur: Si quis veracitatem conscientiae demonstrandam aggreditur, iam percipere debet quaecumque demonstrationem constituunt, et certum ipsi esse debet se ea percipere. Atqui id non aliter constare ei potest, quam ex testimonio conscientiae. Ergo veracitas conscientiae demonstrari nequit, quin iam pro certa sumatur.

17. *Probat*ur 2^a pars, nempe *demonstrationis non eget*. Non eget demonstrationis illa veritas, quae admittitur ab eo ipso, qui eam negat, aut de ea dubitat. Atqui huiusmodi est infallibilitas conscientiae circa nostri, nostrarumque affectionum existentiam. Ergo.

18. *Minor* demonstratur hoc modo: Qui se existere negat, sane affirmat se existere in statu negationis, et si dubitat, utrum sit, se existere in statu dubitationis affirmat, et si dicat se nescire, an sit, iam pro certo sumit se existere in statu ignorantiae. Quod si addat se dubitare etiam, utrum dubitet, et nescire, utrum nesciat, utique affirmat se dubitare, ac nescire, ac proinde se existere in statu dubitationis, aut ignorantiae². Quin immo si quis obiiciat vitam nostram esse perpetuum somnium, quemadmodum hac postrema aetate Fichteus autumavit, iam fatetur nos vivere in statu somnii, ideoque existere³.

ART. II. *Utrum ope conscientiae esse animi prout revera in se est, a nobis percipiatur*

19. Kantius post Humium⁴ contendit animum nostrum, qui ex conscientia nobis se manifestat, non esse talem, qualis re ipsa in se est; quare statuit ex conscientia nobis compertum esse

⁴ Cf *Logic.*, p. II, c. I, art. 3, p. 52.

² « Si fallor, inquit ad hanc rem s. Augustinus, sum; nam qui non est, utique nec falli potest »; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 26. Item s. Thom. (*Q. d. s. p.*, *De Ver.*, q. X, a. 12 ad 7): « Nullus potest cogitare, se non esse, cum assensu; in hoc enim, quod cogitat aliquid, percipit se esse »; Cf *ibid.*, a. 8 ad 2. Idem dicatur de internis animi affectionibus. Nam qui ponit dubium testimonium conscientiae aliquam internam affectionem referentis, simul ponere cogitur veracitatem conscientiae circa illam animi affectionem, quae est dubitatio.

³ Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XV, c. 12, n. 21.

⁴ *Tractatus de natura humana* (angl.), lib. II, part. IV, c. 6.

ego phaenomenicum, idest animum, qualis ipse sibi apparet, at non *ego noumenicum*, idest animum, qualis revera in se est.

20. Sunt autem alii Philosophi, qui cum, ut alibi diximus¹, velint ope conscientiae a nobis cognosci dumtaxat nostras cogitationes, docent ad notitiam subiecti cogitantis nos pervenire ope ratiocinationis, quae hoc modo conficitur: Ex conscientia cognoscimus esse in nobis aliquas cogitationes; atqui cogitationes non nisi in subiecto cogitante existere possunt; ergo subiectum cogitans re ipsa in nobis existit.

21. Utamque sententiam refellimus sequentibus propositionibus:

Prop. 1^a. *Conscientia tum habituali, tum actuali esse animi, prout re ipsa est, sive reale, ac obiectivum cognoscimus.*

*Probat*ur 1^a pars: Conscientia habitualis, ut diximus², in anima ex eo gignitur, quod, cum naturaliter ipsa sibi praesens sit, ad seipsam cognoscendam comparatur. Atqui anima non aliter sibi praesens esse potest, quam prout in se ipsa revera est, tum quod haec repraesentatio naturalis est, tum quod in ea repraesentans, et repraesentatum unum, idemque sunt³. Ergo anima conscientia habituali ad esse suum reale cognoscendum habilis est.

22. *Probat*ur 2^a pars: In primis, anima per conscientiam actualem illum elicit actum, in quem per conscientiam habitualement *potens erat exire*²; ac proinde in cognitionem sui esse realis. Deinde, per conscientiam actualem anima convertit se supra se, ac proinde se sibi *actu* repraesentat⁵. Atqui actualis repraesentatio oritur ex eo, quod anima sibi praesens efficitur eo modo, quo naturaliter est⁶; atque in repraesentatione actuali, perinde ac in habituali, repraesentans, et repraesentatum unum, idemque sunt. Ergo anima conscientia actuali non *phaenomenicum*, sed realem sui cognitionem acquirit⁷.

¹ Vid. *Dynam.*, c. IV, art. 8, p. 143. — *Dynam.* loc. cit. p. 141.

² « Mens, ait s. Augustinus, cum se ipsam cognoscit . . . , cognitum, et cognitor, ipsa est . . . Quod ergo cognoscit se, parem sibi notitiam sui gignit, quia non minus se novit, quam est »; *De Trin.*, lib. IX, c. 12, n. 18.

⁴ Cf *Dynam.* *ibid.* — *Cf Dynam.*, loc. cit.

⁶ « Cum se, inquit laudatus sanctus Doctor, novit mens . . . , est utique in seipsa, quoniam ad seipsam mens dicitur »; *Op. cit.*, *ibid.*, c. 5, n. 8.

⁷ Quod de realitate ipsius *esse* animae dicimus, de realitate eius affectio-

23. Prop. 2^a. *Existentia subiecti cogitantis ope ratiocinationis adstrui, nequit.*

Probatur. In ratiocinatione, qua ex conscientia cogitationum existentia subiecti cogitantis inferitur, haec vel inferitur ex conscientia, quae cogitationes, sive affectiones animae veluti nostras patefacit, vel non. Atqui, si primum, *petitio principii* inducitur, idest existentia subiecti cogitantis admittitur eo ipso, quo demonstratur; nam cognoscere affectiones veluti suas non aliud est, nisi illas ad se ipsum referre, et animus non potest affectiones ad se ipsum referre, nisi se ipsum cum affectionibus cognoscat. Sin alterum, nempe si affectiones perciperentur non tamquam nostrae; tunc ex ipsis inferri posset existentia cuiusdam substantiae in genere, numquam vero existentia substantiae proprii animi. Ergo existentia subiecti cogitantis non ope ratiocinationis, sed dumtaxat ex conscientia nobis innotescere potest. Hanc ob rationem anima se *in actibus suis*, potius quam *per actus suos* cognoscere dicitur; siquidem actus animae non sunt aliquid, *ex cuius cognitione anima in sui ipsius cognitionem deveniat*, eo nempe modo, quo *dicuntur conclusiones principii cognosci*; sed sunt aliquid, *in quo anima seipsam cognoscit: non oportet autem, ut in quo cognoscitur, alia cognitione cognoscatur, quam id, quod cognoscitur eo*¹.

ART. III. *Quibusdam difficultatibus satisfi*

24. Obiic. 1^o Saepe dubitamus, utrum affectio, quam experi-

num etiam intelligendum est. Nam, cum subiectum, quod repraesentationem alicuius suae affectionis habet, unum, idemque sit, ac obiectum repraesentatum, sequitur ipsam affectionis apparentiam in anima esse aliquam realitatem, ita ut anima nequeat habere repraesentationem alicuius affectionis, quin haec simul realis sit.

¹ *Qq. dispp., De Ver., q. X, a. 8 ad 9.* Advertito posse ex actibus animae quamdam ratiocinationem confici, non quidem ut eius existentia urgeatur, haec enim, ut diximus, est factum *per se* notum; sed ut evincatur eam nullis scepticorum cavillationibus labefactari posse. Ita s. Augustinus primum statuit *nos existere* tamquam factum *per se* notum, proindeque certum: « Sine ulla phantasiarum, vel phantasmatum imaginatione ludificatoria mihi esse me, idque nosse, et amare certissimum est » (*De Civ. Dei*, lib. XI, c. 26). Deinde adversus Scepticos, obstrepentes quemquam posse in hoc falli, ostendit, uti antea adnotavimus, illud factum ipso errore asseri: « Si fallor, sum; nam qui non est, utique nec falli potest, ac per hoc sum, si fallor »; Cf p. 230, not. 2.

mur, sit ista, an illa, e. g., utrum ab odio, an a praedudicata opinione, an ab amore iustitiae, ac veritatis moveamur ad aliquid agendum. Ergo testimonio conscientiae omnino² fidendum non est.

25. Resp., *Dist. ant.*, dubitamus de natura affectionis, quam experimur, aut de denominatione illi tribuenda, *conc. ant.*, de praesentia, *neg. ant.* *Neg. cons.* Et sane testimonium conscientiae circa puram facti praesentiam, non vero circa naturam, aut causas eius versatur; quapropter haec per alias vias investiganda sunt.

26. Inst. Aliquando dubitamus, utrum necne quaedam affectiones in nobis sint. Ergo etc.

27. Resp., *Dist. ant.*, dubitamus, utrum, necne aliquas affectiones in nobis experti fuerimus, *conc. ant.*; utrum, necne aliquam affectionem in nobis in praesentia experiamur, *neg. ant.* *Neg. cons.* Haec obiectio vim praesentiae nedum destruit, magis confirmat. *Non destruit* quidem, nam dubitatio non circa affectiones, quas in praesentia experimur, sed circa praeteritas affectiones versatur; praeteritae autem affectiones, uti iam monuimus¹, ad memoriam, non vero ad conscientiam pertinent. *Magis confirmat*, quia cum dubitamus, utrum, necne aliquas affectiones experti fuerimus, haec dubitatio, quae est quoddam factum internum, atque praesens, ac proinde ad conscientiam spectans, ex testimonio conscientiae comperta nobis est.

28. Obiic. 2^o Conscientia amentibus, et somniantibus saepe testatur se multa videre, et audire, quae omnino nulla sunt. Ergo conscientia re ipsa fallitur.

29. Resp., *Dist. ant.*, quae nulla sunt extra animam, *conc. ant.*, quae nulla sunt in ipsa anima, *neg. ant.* *Neg. cons.* Et sane, illa, quae amentes, et somniantes putant se videre, et audire, extra animam prorsus nulla sunt; sed existunt quidem in eorum anima. Quapropter cum ipsi iudicant phantasmatum obiecta extra animam existere, decipiuntur, sed non conscientiae vitio, quia haec non versatur circa ea, quae extra animam sunt. E contrario, conscientia, in eo, quod testatur *obiectum* sibi proprium, nempe internas affectiones, amentes, et somniantes non fallit, quia ipsi vere intus afficiuntur, et vere iucundos, vel in-

¹ Pag. 229, not. 1.

gratos sensus experiuntur. Ceterum, adversarii statum quaestionis omnino elabuntur; nos enim, cum conscientiae veracitatem propugnemus, de homine loquimur, prout, remotis impedimentis, debita facultatum suarum dispositione gaudet; illi autem exempla proferunt hominum, qui in statu versantur minime idoneo ad cognoscendum, et iudicandum.

CAPVT III.

De criterio sensuum externorum

ART. I. *Sententia, quae dicitur realismus naturalis, exponitur, et propugnatur*

30. *Realismus naturalis* dicitur sententia, qua statuitur sensationes esse *per se obiectivas*, idest, immediate referre res externas, adeo ut nobis certis esse liceat de rerum externarum existentia eo ipso, quod illas sentimus. Quapropter nomine *realismi naturalis* iure appellatur, quia docet existentiam rerum, quas sensibus apprehendimus, esse veritatem primam *facti*, proindeque illam *naturaliter* nobis innotescere.

31. Veritas huius sententiae, quam docuerunt Aristoteles, omnes Ecclesiae Doctores, et inter recentes praesertim Galluppius noster ¹, sequenti propositione demonstratur:

Realismus naturalis veritati consentaneus est.

Probatur. Iam a nobis demonstratum est ¹ animam per sensus percipere res exteriores corporeas ²; ² apprehendere non solum earum qualitates sensiles, sed etiam substantiam ³; ³ etsi res sensiles per species apprehendat, tamen illas immediate, seu in seipsis apprehendere ⁴; ⁴ species, per quas anima res sensiles apprehendit, ab earum actione in anima produci ⁵; ⁵ perceptionem sensitivam, etsi immediate a sensu proficiscatur, mediate tamen ab obiecto progigni ⁶; necessariam esse connexionem inter actionem rei exterioris in sensum, sensationem et perceptionem sensitivam ⁷. Ex his omnibus deduximus sensationes, sive perceptiones sensitivas natura sua esse *obiectivas*, hoc est per se ipsas rerum exteriorum realitatem nobis manife-

¹ *Lezz.*, etc., lezz. XXVI-XXX. — ² *Dynam.*, c. III, art. 2, p. 110.

³ *Ibid.* — ⁴ *Ibid.*, art. 3, p. 117. — ⁵ *Ibid.*, art. 4, p. 114-115.

⁶ *Ibid.*, p. 116. — ⁷ *Loc. cit.*

stare ¹. Atqui id in realismo naturali adstruitur. Ergo realismus naturalis veritati consentaneus est.

32. Aliud argumentum adicere lubet, quod, etsi indirectum sit, tamen nostram propositionem valide confirmat. Omnes ii, qui animam per sensus externos immediate non posse percipere corpora autumant, his duabus rationibus innitantur, nempe: ¹ Similitudo naturae intercedere debet inter subiectum cognoscens, et obiectum cognitum, ac proinde anima, quae est spiritualis, non potest se cum corporibus communicare, atque haec in seipsis cognoscere. ² Si anima quidquam extra se positum perciperet, extra se operaretur, quod certe numquam fieri potest. Atqui hae rationes nullius ponderis sunt. Ergo nihil est, cur sensationes esse natura sua obiectivas negatur.

33. *Probatur minor.* ¹ Similitudo inter subiectum cognoscens, et modum cognoscendi obiectum intercedere debet, non vero inter subiectum cognoscens, et obiectum cognitum in se spectata; quia non obiectum cognitum, sed cognitio est affectio cognoscentis. Quapropter anima, etsi sit immaterialis, potest tamen res materiales percipere, dummodo illas immateriali modo percipiat ². ² Falsum omnino est animam non posse res externas percipere, nisi quidquam extra se agat. Nam cognitio est ex eo genere actionum, quae in anima manent, non quae extra animam feruntur ³; ac proinde non alibi, quam in ipsa anima contingere potest. Quod ad perceptionem rerum sensilium spectat, illud etiam ex dictis perspicuum est, ipsam ex eo fieri, quod anima actionem rei obiectae excipit, non vero quod res obiecta excipit actionem animae. Unde agnoscendum est non quidem transitus subiecti ad obiectum, sed potius obiecti ad subiectum, quatenus nempe illud speciem sui in hoc immittit.

ART. II. *Oppositae sententiae refelluntur*

34. Philosophi, qui realismo naturali adversantur, in eo consentiant, quod doceant sensationes esse tantum *subiectivas*, hoc est, simplices animae affectiones, ideoque ab existentia sensilium affectionum existentiam rerum externarum minime manifestari. Ipsi autem in duas sententias scinduntur. Nonnulli ex

¹ *Loc. cit.* — ² Cf s. Thom., I, q. LXXXIV, a. 2 c.

³ Cf *Dynam.*, c. III, art. 4, p. 114.